In Obitum Laudatiſſimi

D. IOANNIS

Ab *Aulâ Fontanâ*,

Qui Annum agens Octogeſimum Secundum ex humanis

2do Aprilis

ARdua ſi virtus, capitis reverentia cani,
Aut morum probitas, & ſine labe fides,
Si vis magna animi, veneranda modeſtia vultûs,
Plurimus oris honos, ingeniive vigor
Tollere humo poſſent quenquam tot dotibus auctum,
Lauderus paucis laude ſecundus erit.
Vir pius atque probus, meritis ſpectandus & annis,
Sobrius & vigilans, juſtitiæque tenax.
Munera qui toties benè ſplendida geſſit in urbe,
Prætor honoratus nomen in aſtra ferens,
Sed magis impulſu eſt, quam ſponte, amplexus honores:
Et nunquam, niſi cùm publicus uſus erat.
Publica nam quoties poſcebant commoda, nunquam
Defuit auxilio conſilioque ſuo.
Certa fides verbis inerat, conſtantia factis;
Partibus à Regis fidus & uſque ſtetit.
Qui nunquam adduci potuit, juraret ut olim
Uſurpatoris verba in iniqua trucis.
Maluit at civis jus perdere & omnia, *Regum*
Quam ſic *Scotorum* proſtituiſſe decus.
Cujus & externas diffuſa eſt fama per oras
(Non minus atque domi) ſedulitate ſuâ.

19

ni Spectatiſſimique Viri,

S LAUDERI

, *Equitis Baroneti.*

NATIONAL LIBRARY OF SCOTLAND

nis decedens, ad ſalutis æternæ portum ſeliciter appulit
is 1692.

Mercator quondam, ſua ritè negotia tractans,
Nomen, & ingentes accumulavit opes.
Quas veluti varios prudens impendit in uſus,
Sic quoque pauperibus munera multa dedit.
Gymnaſiumque ſuis, duo pulchra cubicula condens,
Ornavit donis, Inclyta *Edina*, tuum.
Queis meritò rebus populi contraxit amorem,
Civibus & gratus, ceu pater, uſque fuit.
Hinc virtute ſua tenet indelebile nomen;
Quantumvis fugiens ambitionis erat.
Conjugio triplici felix, & prole beatâ,
Quæ ſoboles patrem vitâ animiſque refert.
Uxor & illius, clarâ de ſtirpe, ſuperſtes
Et genere, & meritis fulget honora ſuis.
Ex *Idintonâ* præluſtri gente & avitâ
Filia, cui caput eſt *Dalhuſiana* domus.
Sed jam grandævus ſenio extenuatur ab ipſo,
Ut cadit incurva falce reſecta ſeges.
Octonos decies, & binos attigit annos;
At diuturna magis poſtera fama manet.

Mr Wm D. Dryſton